


C A L O A
POST STVPENDAM ILLAM
SERENISSIMI PRINCIPIS
F E R D I N A N D I
V I C T O R I A M
S. VIRGINIS MARIÆ
T R I V M P H O
N O B I L I T A T A,

per Statuam B. MARIÆ DE VICTORIA ibidem triumphali pompâ collocatam à Reu.admodum atque Eximio P. M. F. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS & ALARCON, Ord. Eremit. S. AVGVSTINI, S.Th. D. & Serenissimo Principi Cardinali Infanti à sacris Concionibus; in reparationem honoris Virginei, sacrilegâ combustione statuæ MARIANÆ per Wilhelmi Nassouij filium istic violati:

D E S C R I P T A
A FRANCISCO VANDEN ENDEN
MEDICO ANTVERPIANO.

1  AM Ducis ignavi probro Caloa Batauis
Cesserat, & latè per Flandrica rura pauorem
Sparserat exitij præsentis pessimus auctõr,
Fortunâ nutante, Timor: citò vasa colonus

Captâ Caloà omnes omnia extrema timent:

5 Componit, viteque dies iam computat urbis
Aduatica ciuis; nec spes super vlla relicta
Cernitur, humanâ si res libranda staterâ.
Non hæc sola mouent timidum discrimina vulgus;
Ipsi, queis prudens consedit pectore Consus,

- 10 *Ipsi militiæ Proceres, dum corde volutant
Singula, vix tantis quæ sit medicina periclis,
Cum dubio statuunt animo: timet omne quod vrbi
Aduaticæ patriæque fauet; timet omnis, Ibero
Qui fidus sceptro, nobis communia carpit*
- 15 *Pabula, fertilibus quæ profert Belgica campis.
At non celsa metus Capitolia scandere cordis
Tunc potuit, FERNANDE, Tui. Sic liber Olympi
Vertex, horrifico quamuis concussa fragore
Inferiora sonent, nullius cuspide teli*
- 20 *Tangitur, & nullâ cineres turbantur ab aurâ:
Scilicet humanis excelsior. Omnia Princeps
Dispicit indagatque; nec estignara pericli
Prouida mens, omni sed inexpugnata timori,
Quippe Deo fidens: etenim iam fama volatis*
- 25 *Attulerat certo, Diuis illata Caloæ
Bella, nec humano satiatam sanguine diram
Barbariem; Diuæ Matris (quis, talia fando,
Temperet à lacrymis?) statuæ subiecta ferebat
Ipsius à nato VVilhelmi incendia. Ductor*
- 30 *Agminis hic VVilhelmus erat, qui sacra secutus
Impia, sacrilegos natum formârat ad ausus.
Audieras, FERNANDE, scelus; quæque omnibus antè
Tam facîle obstiterat, subitò est commota tibi mens
Tristitiâ ingenti. Patiar? (vox prima doloris*
- 35 *Ista fuit) patiârne scelus? Priùs ista reuulsa
Corpore mutetur mendicâ purpura lenâ,
Et priùs infament captiuas vincula palmas,
Quàm patiar Diuam violari. Mancipor ipse
Seruitio insigni MARIAE: Germanus utrumque*
- 40 *Imperio Oceanum frænans famulantia Diuæ
Colla dedit, manibusque gerit pia vincula, testes
Totum cum mundo domito seruire PHILIPPVM:
Et patiar mundi Dominæ, Fratrisque meæque,
Subdier arsuos ignes, statuamque MARIAE,*
- 45 *Quæ sacrum os vultumque refert, crepitante fauillâ
Absumi in cineres? Non hæc mandata petenti
Belgica Regna dabas, Frater: non illa propinans
Lac tenero documenta canebas Regia Mater,*
- vnus Princeps
FERDINANDVS
instar Olympi li-
ber ab hoc motu
& metu.
- Prudentia, & spes
in Deum, hoc ci
præstat.
- At sacrilegia ab
hoste in Virginis
Deiparæ statuam
designata
- generoso impe[??]
animum commo-
uent:
- eâ maximè ratio-
ne, quòd tum ip-
se se professus sit
mancipium bea-
tæ Mariæ Vir-
ginis, tum poten-
tissimus ipsius
Frater Hispania-
rum Rex;
- quodque eius
cultum à Fratre
& Matre habeat
commendatum.

- 50 *Mater non pietate minùs quàm sanguine cunãtis*
Altior, vna thoro non indignanda paterno.
Dixerat, & citò Concilium vocat: Impete toto
Nunc, ait, & toto Martis conamine agendum est.
Pro se quisque viri statuunt, vel victa Caloæ
Mœnia, vel victi fatalem scandere cymbam.
 55 *Nec super hoc dubito, nostris victoria castris*
Calitus immitti gaudebit; quæritur, illi
Quæ sternenda via: huc alacres impendite, quidquid
Aut vsus docuit, longa aut meditatio suasit.
Auditur quid quisque ferat; cunãtisque libratis,
 60 *Omnibus hæc tandem melior sententia sedit:*
Si tribus aggressi Caloam partibus, omnes
Omnia conati summâ nitantur opum vi,
Nec cælo auxilium desit; fore prælia pugnae
Ardua, sed quibus & certam sperare salutem,
 65 *Et decus ablatum fas instaurare Parenti*
Diuinæ. Dictum, dictoque citantiùs omnia
Aptari iubet ad Martis certamina Princeps.
Non mihi tanta mei fiducia, tangere vt ausim
Facta virum magnorum ingentia: nulla Camœnæ
 70 *Spes tantam exiguæ virtutem æquare canendo.*
Ergo silet. Nec te decus immortale sonabit
Cantelme Italiae; nec te Ledæ vibrantem
Tela, nouum Belgis sidus, qui Marchio Leda
Diceris, aut Clari præfers qui nomina Fontis
 75 *Hispanâ virtute Comes: vos perstitit inter*
Belgarum librata salus, & gloria tanti
Principis è vestro verè mucrone pependit.
Hoc primum, duri cur dura pericula fati
Non timuisse iuuat: quamuis victoria Martem
 80 *Abnuat, euentuque cadat vaga Diua sinistro.*
Scilicet hæc fati restent solatia: Magnis
Immior conatibus. Ast vbi læta secundo
Euentu adspirat fortuna, Deusque paratam
Porrigit auxilio dextram; tunc scilicet illa,
 85 *Quæ taciti in vobis colimus, lætique stupemus,*
Roboris eduntur miracula, fama perenni
Quæ cælo insculpet titulis gentilibus, arma

Vocato ergo Con-
cilio,
non an pugnan-
dum,

sed quâ ratione
vincendus sit ho-
stis, exquirat.

Statuitur tribus
simul partibus
Caloam esse assi-
liendam;

idque Triumvi-
ris, Cantelmo,
Marchioni de Le-
de, & Comiti de
Fuenclara com-
missum:

ad gloriam eorum
immortalem, licet
res non successis-
set, fortissimè
executioni man-
datur:

	<i>Patria condecorans simili circumdata versu.</i>	
	<i>De tribus vnus erat: nec enim pronuntiet æquus</i>	pari eorum vir-
90	<i>Arbiter, hic palmam tuleritne, vel iste, vel heros</i>	tute,
	<i>Tertius: æquali certabant impete, & æquas</i>	& gloriâ pari.
	<i>Fama dedit laudes; cuius non gratior vmquam</i>	
	<i>Cæsos, submersos, captos, vox vna Batauos</i>	
	<i>A Belgâ, Hispanâ, atque Italâ virtute ferebat.</i>	
95	<i>Insequitur, paribusque legit vestigia famæ</i>	Vnde Belgio, læ-
	<i>Passibus, abstergens lacrymas, & pectora replens</i>	titia,
	<i>Lætitiâ, in risum facilis se Belgica soluit,</i>	
	<i>Et tota ad laudes Victoris versa, triumphos</i>	& festiui ignes.
	<i>Instruit. Arsuræ moles tolluntur in altum,</i>	
100	<i>Dissita festiuis hostilia vt oppida flammis</i>	
	<i>Te scriptum FERNANDE legant, timeantque legentes.</i>	Triumphatori
	<i>Vndique gratatum concurrunt oppida, & omnis</i>	Principi vndique
	<i>Genua cui tetigisse datur, gratantia prudens,</i>	congratulatio,
	<i>Quæ molles faciant aditus, exordia sumit.</i>	
105	<i>Hic memorat septem stratorum millia, at ille</i>	& grata victoriæ
	<i>Dinumerat captasque rates, vexillaque templis</i>	commemoratio:
	<i>Jllata: horrisono tormenta sonantia bombo</i>	
	<i>Reddita commemorant alij: meminisse pericli</i>	
	<i>Quidam audent, viresque etiam laudasse Batauos</i>	
110	<i>Securi. Ingenijs restat peragrandâ tuorum</i>	quæ, vt ceteræ
	<i>Silua triumphantis virtutis, Belgica. Felix</i>	Principis laudes,
	<i>Quicumque ad tantum seruaris munus ab aëstris,</i>	Historico eius re-
	<i>Ut tibi FERNANDI claros memorare triumphos</i>	linquitur.
	<i>Mandetur: nec enim poterat felicior vllis</i>	O felix, quisquis
115	<i>Materies votis optari, lege solutâ,</i>	ille, tam felice
	<i>Siue stilo cupias per laudes currere vincto.</i>	materiâ!
	<i>Hæc speranda alijs, queis totum Heliconâ reclusit</i>	Non sperat tanta
	<i>Phæbus: ego, primâ vix dum qui parte receptus</i>	tenuis hæc Musa.
	<i>(Christigenis prima est pietas, vbi thure Sabæo</i>	Interim B. MA-
120	<i>Calicolas semper veneratur, & instruit aras)</i>	RIÆ Virginis
	<i>Tantum visa canam; ne desis Virgo canenti:</i>	triumphum à M.
	<i>Namque sacros tantum memini vidisse triumphos,</i>	F. Bartholomæo
	<i>Quos tibi Caloæ, Victore rogante, parauit</i>	de los Rios & A-
	<i>Ille, ille antiquæ præco pietatis Alarcon,</i>	larcon, Ordinis
125	<i>Quo dicente sacras FERNANDVS pectore flammâs</i>	Eremitarum san-
	<i>Concepit toties, totusque accensus amore</i>	cti Augustini,
		Cardinalis Infan-
		tis Hispaniarum
		Concionatore, in-
		structum canet.

Virgo tui, famulâ suscepit vincula dextrâ.
 Hix simul ac pulsos FERNANDI Marte secundo
 Accepit Batauos, notas se strauit ad aras
 130 Protinus, vnde bonos se nominis ipsa fatetur
 Omine successus largiri Virgo, precantique
 Incidit è cælo pia mens. Violata Caloæ
 Sacra per infames ausus, & crimine tanto
 Ignibus iniecta statua, peperere MARIA
 135 Hanc magnam nobis obstetricante salutem:
 Quin ergo MARIAE læti instauramus honores,
 Et violata nouis pensamus sacra trophæis?
 Audiat hæc Princeps, & plausu gratior omni
 Vox ea contigerit. Dixit, portusque petiuit
 140 Aduaticos, vbi fumus adhuc abscondita celat
 Littora, tam denso flammæ ingentia bombo
 Tormenta euomuere. Stat hac FERNANDVS in armis
 Pulchrior obsessus nebulâ; circùm vndique fusus
 Horror, vt è placido rutillet Clementia vultu
 145 Grator. Extollens medijs sic nubibus altum
 Phœbe caput, lucem vicinâ intendis ab umbrâ.
 Omnibus intentos voluens per singula vultus,
 Percipit accessus sacri Praconis: Vt, inquit
 Ipse prior, bacchata, Pater, scelerata per omne
 150 Quod sacrum sanctumque, ac inuiolabile, casta
 Relligio esse iubet, Caloæ est hæresis! Ille,
 Ille dolor primùm rebus sperare salutem
 Suasit, & insolitos animum succendit ad ausus:
 Nec fauor è Cælo, MARIAE nec dextera pugnae
 155 Abfuit; haud nostris, quod plaudis, viribus actum est.
 Dixerat, & prono fandi dat tempora nutu:
 O Princeps, ô cura poli, terraque voluptas,
 Bartholomeus ait (placido dicentis in ore
 Latitiæ fabricare suos Reuerentia risus
 160 Permittit, vultum facilisque modestia soluit)
 Quis tibi pro meritis dignas depromere laudes,
 Vel poterit tantos non inferiore triumphos
 Carmine gratari? Non si iungatur in vnum
 Belgica tam varijs sudans industria rebus,
 165 Italiae prudens sollertia, acumen Iberi

Is pro Caloâ re-
 cuperatâ B. MA-
 RIÆ de Bono
 successu, quam
 ipse Bruxellis in
 templo S. Augu-
 stini collocauerat,
 gratias agens,
 cogitat de repa-
 rando ibi Virgi-
 nis honore.

Hoc animo Ant-
 uerpiam conten-
 dit, Principem
 adit; qui inter fu-
 mos tormento-
 rum, & belli hor-
 rorem,

instar Phœbi se-
 renissimus,

prior de sacrile-
 gius hostium
 mentionem facit.

- Ingenij, & quidquid collectum partibus orbis
 Ad Belgas tua vel virtus spectanda, vel arma
 Addiscenda vocant, possint æquare canendo
 Tantum opus. Attoniti, fieri potuisse quod actum est,
 170 Victores victique stupent. Tu numina Diuæ
 Agnoscis, Cælique, tuis non viribus, istam
 Hostibus immissamque fugam, dirumque timorem.
 Vertit eos Bellatrix Diua. MARIA trophæum
 De Batauis, ausus infames vltæ, meretur.
- 175 Hæc eadem si forte tibi, Inuictissime, dicat
 Exsuperans animo pietas, me cura manebit
 (Quando alia ex alijs, glomerataque bella vocant te)
 Posteritas vt grata sciat, te Virginis almæ
 Viribus hanc magnam Belgis peperisse salutem.
- 180 Annuit his facilis Princeps, breuiterque reponit:
 Ergo age Cælæ restaura gratus honorem
 Ablatum Diuæ, meque & victricia mecum
 Arma illi supplex commenda. Concita tanto
 Impete non ruit in prædam, data lora canum vis
- 185 Libera dum sentit, zelo quanto expedit omnes
 Affectus animi, pendens in talia toto
 Pectore vir semper. Iam iam Romana petuntur
 Limina, vt admissi Indulgentia plena reatus
 Conuocet instantis festi ad solemnia turbam.
- 190 Exin nota suo prudens Mechlinia celo
 Visitur, (hanc ligna in viuas animare figuras
 Arte ferunt mirâ) victricis vt ora decorè
 Virginis exsculpat. Picturæ Antuerpia, & omnis
 Inuentrix nutrixque simul virtutis & artis,
- 190 Exprimit è viuuis eadem ora coloribus. Inde
 Gandauum petitur. Magni incunabula Regis
 Hic sunt, hinc nulli violanda sedilia magnæ
 Iustitiæ; hinc pietatis apex, quem vertice digno
 Sustinet è magno demissum stemmate nomen
- 200 Triestius, & paribus Mitram virtutibus implet.
 Illius infixum cordi versabat acutus
 Mæror adhuc stimulum. Quid? Sub ditione patratum
 Sicne meâ crimen nullo pensetur honore
 Virginis? His curis intentum letus adiuit,

Pater, an possit
 Deiparæ trium-
 phum parare, ro-
 gat.

Postquam annuit
 Princeps,

omnes ille soluit
 affectus.

Româ impetrat
 Indulgentias ple-
 narias :

Mechliniæ Sta-
 tuam B. MARIE
 Virginis,

Antuerpiæ pictu-
 ram conficien-
 dam curat.

Perillustrem ac
 Reuerendiss. An-
 tonium Triestium
 Episcopum Gan-
 densem rogat, vt
 auctoritate suâ
 pondus, & vèro,

- 205 *Omnia disponens festi solemnia, Alarcon;
Et breuiter questus de crimine, Principis addit
Quàm pia mens, & quàm cupiat prostrata Caloæ
Sacra instaurari: de paupertate pararit
Auxilij quidnam ipse suâ, docet; omnia ritè*
- 210 *Disposita: hoc vnum restare, vt facta sigillo
Approbet, & porrò faciendis præstet honorem
Ipse sui, nisi rerum ingentibus anxia curis
Obsistat moles. Animos præsentia tanti
Præsulis adijciet populo; gratumque MARIAE,
215 Gratum FERNANDO obsequium præstabitur. Ille,
Nil opus est, inquit, verbis, decus addite castris
Augustiniadùm: prono calcaria subdis
Cordi; quæque animo nondum perfectâ dolebam,
Insigni pietate paras. Mora nulla, quod illa
220 Ponderis inceptis potis Insula iungere, quodque
Hoc caput auxiliij, nulla hîc sit cura, paratum est.
Lætior his dictis, cœpta acriùs vrget Alarcon
Sedulus, & pompæ patitur nil deesse futuræ.
Cynthius intereà ponto festinus Eoo*
- 225 *Extulerat lucem, quâ primùm Luminis orta est
Aurora æterni: fuit hæc addicta triumpho
Virginis, vt gemini conspiret gloria Festi.
Quis mihi nunc Heliconæ Deus, quis sacra recludet
Limina, vt Ascræâ perfundam pectora lymphâ,
230 Quæ fluat in faciles versus, & carmine digno
Hunc, Caloæ, canat, quo nobilitata triumpho es?
Lumine vix dubio lustrabat tecta domorum
Mersus adhuc Titan, pietas iam limine ciues
Quemque suo excierat: ruitur denso agmine ad omnes,
235 Quæ Scaldim pandunt, portas. Caloana petenti
Mœnia substernit faciles Neptunius vndas
Scaldis, veliferos inter notissimus amnes.
Miserat hesternam sub noctem Reçtor aquarum
Firminus Tritona Deo, qui quanta parentur
240 Sacra, cui, à quantoque viro, sermone decenti
Indicet, auratam disponens flumine puppim.
Admittit pius amnis onus, placidæque paludis
In morem compescit aquas, æstumque ferentem*

si fieri possit
præsentia splen-
dorem festiuitati
addat.

Omnia addicit
Reuerendissimus
Dominus:

& solemnitas hoc
modo instituitur
die Natiuitatis
B. MARIE Vir-
ginis.

Manè portæ om-
nes Scaldim spe-
ctantes à confer-
tâ multitudine
obsidentur.

Excierat eam pu-
blicata solemni-
tas.

Nauis regia Scal-
di inuecta, à Do-
mino Firmino de
Lodosa Classis

Disponit manè Caloana ut mœnia versus
 245 *Defluat in pontum, redeatque hoc ordine, turba*
Vespere ut Aduaticum possit contingere littus.
Ergo ut custodes nocturna pericula rident
Cardine conuerso portæ, ruit undique vulgus,
Innumerasque replet puppes, quas nautica lucro
 250 *Intenta appulerat vigilantia: condita nusquam*
Æquora comparent, nec iam latissima Scaldis
Tergora sufficiunt ratibus, populoque carinæ
Deficiunt. Ergo se turbæ sedula miscens
Hortatur Pietas metiri passibus æquos
 255 *Riparum campos: nec enim clementia cali*
Hoc vetat; & Diuæ exhaustum quodcumque laboris,
Templi quando sui visuntur limina, gratum est.
Excepta est pronis vox auribus: ordo, nec ætas,
Nec sexus prohibet, quin bis ter mille capessant
 260 *Per ripam passus. It longo tramite vulgus,*
Inuersumque refert sub aquis mimi æquoris umbra.
Intereâ sacrîs operatus ritè dicauit
Lignum, cui MARIAE veneranda ars finxerat ora,
Gandensis Præsul: defert Victoria nomen
 265 *Ipsa, suosque cupit MARIANIS artubus artus*
Vestiri, atque vno celebrari numine, quando
Exitio potior non sit, nisi missa MARIAE
Imperio cingat victoris tempora lauro.
Pergitur ad Scaldim, pictis vbi Regia puppis
 270 *Exspectat velis coniunctum ponderi honorem.*
Hæc primùm Aduaticos tendentem visere campos
FERNANDVM auratâ trabe vexerat. Inde minores
Dedignata vsus, Dominam vectare prioris
Nunc gaudet Domini, bis maius sorte carinæ
 275 *Perfunctâ officium: tunc diues Regia magni*
Principis, at summæ nunc facta Ecclesia Diuæ.
Namque vbi præcelsam in puppim se tollere primùm
Incipit, ars pretiumque sacrum penetrare laborant
Fingere, quale reor Salomonica templa sacratis
 280 *Relliuijs Arcaque dabant. Attollitur ara*
In medio; hæc sanctam renouati fœderis Arcam
Sustinet, & Cherub duplex circumsidet Arca;

Regiæ Præfecto;
& æstus manè
Caloam petenti-
bus opportunus.

Portis apertis na-
ues omnes (su-
pra 200. fuisse
aiunt) complen-
tur; nec pauciores
terrâ quàm aquâ
faciunt iter.

Sacrîs operatus
Præsul Ganden-
sis Statuæ bene-
dixit, & B. MA-
RIA de Victoria
nomen imposuit.

Ea defertur ad
nauim Regiam,
quâ Serenissi-
mum Principem
FERDINANDVM
primùm se inui-
sentem Antuer-
pia acceperat;

atque ibi in arâ
decenter colloca-
tur.

Nam Statuam MARIÆ cingunt, pietate coruscus
 Triestius hinc, illinc zelo flammatus Alarcon:
 285 Anteriora tenent Primores urbis: in altum
 Conscendunt, tuba queis forti, vel tibia dulci
 Respondet flatu; inferiùs tormenta magistros
 Agnoscunt. Tuba discessus ubi namque cauato
 Ære dedit signum, toto displosa tumultu
 290 Dissilière, vrbique vale dixère boando.
 Extemplò simili castellum fulget in igne,
 Et Diuæ gratatur iter. Non segniùs arma
 E regione Caput prætendens Flandria sumit,
 Festiuisque crepat bombis; Laurentiâ ab arce
 295 Mox Anuersa tonans sua latè immurmurat vndis
 Gaudia: fumorum voluuntur in æquore nimbi,
 Eripiuntque ratem terris, terrasque carinæ.
 Hos inter celsâ clangebant tibia puppi.
 Mox tuba festiuo renouabat classica signo:
 300 Dum rursus fumo in nubes abeunte carina
 Emicat, Aduaticisque sui spectacula præbet
 Magnificùm incedens, donec sese obtulit arci,
 Cui dedit exoriens sol ☉ Dea Velia nomen.
 Huius, quanta patent, præcingit mœnia miles,
 305 Non secùs instructus, quàm si nunc aspera Martis
 Signa vocent, nisi quòd tetra inserpentia fronti
 Gaudia sæuitiem armorum superare laborent,
 Gaudiaque ingeminent festiuo tympana pulsu.
 Hic ut magnorum vis effera tormentorum
 310 Immani bombo reboauerat, ilicet omnis
 Dissilijt crepitu bombardæ, nouosque per ictus
 Fistula procudens longum de murmure murmur,
 Conduplicat plausus. Nimis ô improuida semper
 Latitia, imprudensque sui! nam turbine cæco
 315 Disijcit exitium glandes mortemque ferentes
 Incautus per aquas miles, nec mille carinas
 Ferri vndis reputat, vitas nec mille carinis.
 Vt pia, quæ nusquam cultores deserit, illam
 Præuidit pestem Virgo; qui proximus adstat
 320 Aligerum alloquitur: Mens ô fidissima, honori
 Obsequiosa meo, cernis quid fata minentur:

Vt tuba, & displosa in nauis tormenta dant signum discessus, ex castro Antuerpiensi, ex Capite Flandriæ, ex arco S. Laurentij tormentis maioribus Virgo Deipara salutatur.

Nauis Regia inter fumos, perpetuò canentibus tubis & tibiis, peruenit ad arcem in Oster-vveel. Hic miles in mœnibus dispositus,

post tormenta omnes bombardas ordine displosit, imprudensque psumbeas glandes in nauigantes sparsit:

at Virgo Deipara, ministerio haud dubiè Angelorum,

	<i>I celer, & prohibe exitium, studiosaque cultus Turba mei tutas fac sulcet marmoris vndas. Quò tamen agnoscat se non sine numine nostrè</i>	
325	<i>Euasisse, sinas vestiga certa pericli. Ille volat medias inter flammisque globosque. Culminibus crepitant quàm multà grandini nimbi, Sic illi petière rates, infraque supraque Delati: nulli sed fas intrare, nec vlli</i>	suos quidem exitio liberavit;
330	<i>Innocuæ turbare licet pia gaudia turbæ; Oppositus forti dextrâ nam discutit ictus Angelus, & iussus seruat quos Diua clientes Dixerat. At tanti lateat ne muneris auctor, Seruatique sciant operæ se magna tulisse</i>	sed graue quod subierant periculum, vt grati essent, ostendit:
335	<i>Præmia, Caloæ necdum licet arcibus Arcam Mirandorum operum venerati, supplice vultu Attigerint emptam generoso sanguine terram, Permittit duplici monstrare pericula glandi. Altera confertos inter denso agmine fertur</i>	euentu mirabili,
340	<i>Murmure fatali stridens, puerique galerum Perforat obstantem. Quis non conclamet, & actum Jam putet? illa tamen, res mira! innoxia sedit Carne super nudâ; collumque humerosque volatu Præteriens, hæsit dorso, nullumque notauit</i>	
345	<i>Exitij signum. Vestes rapit altera ab armo Alterius, nullo delibans vulnere carnem. Exoritur lætus iucundo murmure clamor, Agnoscuntque manum Diuæ, propiusque triremi Aduecti aurata, MARIAM venerantur, & ipsum</i>	qui pro miraculo est habitus.
350	<i>Illæsum ostentant puerum, capitisque foratum Tegmen, & intacto residens in tergore plumbum Fatale. Hoc lætus Pater omine, genua MARIAE Curuat, flammatoque preces de pectore fundit. Quas inter, varios tormentorumque tumultus</i>	
355	<i>Arcibus, ac ratibus, ripâque, atque aggere toto, Nunc mixto nunc alternante fragore, sonantes, Appulit as MARIAE placido vecta æquore puppis. Hanc arcem Diuæ gaudentem nomine prudens Belgica littoribus posuit, Scaldimque tueri</i>	Tandem inter varias salutatio-nes ad S. MARLÆ arcem appulit Regia.
360	<i>Iussit, vicinam Gemmam, sanctumque Philippum</i>	

*Auxilio iungens, toto ne flumine præcep
Deccurat Batauus, fortisque Antuerpia ferro
Hostili pateat, ne diues VVasia prædæ.*

Hanc subeunt arcem læti, Statuamque reponunt
365 *Templi adytis; longoque vocantes carmine Diuam,
Subnectunt titulis titulos, vt suplllice Natum
Pro nobis voce exoret. nam talibus illa
Fertur delicijs Laureti capta, fauore
Iam stabili fixisse domum, quæ conscia magni*
370 *Arcani humano vestiri corpore Numen
Vidit, & intactam repleti Numine matrem.
Hæc inter denso concurritur agmine, campis
Vndique collectæ fundunt se ad templa cateruæ.
Inde cohors legitur, quæ processura decenti*
375 *Ordine, constanti Statuam stipet pede, ne quid
Inconsulta ruens pietas cæco impete turbet,
Et ne pressa gemat nimio reuerentia zelo.
His manibus gestare faces, &serta coronæ;
His datur à baculo sublimi charta, MARIÆ*
380 *Hinc referens statuam, nomen solaribus illinc
Vestitum radijs. Hæc sunt vexilla triumphi,
Bartholomæus ait; medijs & millia sparsit
Prodigus agminibus. Studio confusa ruebant
Agmina: vel frustum lacera tetigisse papyri,*
385 *Muneris instar erat. Magni ò secreta Tonantis
Consilia! ò cæcis mortalibus abdita mentis
Diuinæ arcana! vt pronum, quæcumque videntur
Fortuito casus vel fors adferre tumultu,
Est tibi materiam proprij struxisse triumphi!*
390 *Sæpius id docti, nunc ipsi cernere possunt
Prodigium pietas queis afflat numine mentem;
Prodigij namque instar habet servatus Alarcon.
Hunc turbâ crescente premunt, atque impete toto
Aggere depellunt; instantum mole priores*
395 *Compacti, senioque grauem, multoque labore
Defessum affligunt terræ, pia nomina Matris
Voce salutantem. Quis non venisse suprema
Fata viro credat? feriunt, calcantque, ruuntque
Ex alijs alij. Non tot gemit ictibus incus,*

Hic expositâ in
templo Statuâ,
Litaniis Laure-
tanis decantatis,

Processio ordi-
natur.

Primores circa
Statuam collo-
cantur facibus &
Rosariis instructi.

Vexilla statuam
ac nomen beatæ
MARIÆ Virginis
referentia passim
turbæ gestanda
dabantur: vnde
ortus tumultus,
in quo ipse P. M.
F. Bartholomæus
de los Rios mi-
rabiliter periculo
liberatur.

400 *Ætnæi dum se duro certamine fratres*
Exstimulant; pectus tenerum quot calcibus urgent
Lapsi, exurgentesque viri, rursusque labantes.
Interea exoritur clamor: namque anxia mentes
Cura Patris stimulat, si iam concesserit umbris,
 405 *Vitales an adhuc MARIAE cum nomine spiret*
Ipse valens auras. Ergo constantia prudens
Quoscumque exemit turbæ, non digna ferentem
Cernere Alarconidem queis dat vicinia prati,
Auxilio subeunt: remouent instantia latè
 410 *Agmina, tendentes dextram. Sed, Nil opus istis*
Subsidijs, ait, exurgens: descendit Olympo
Maior, maiores animos viresque ministrans,
Matre Dei mittente, fauor, nec vita supersit,
Si vestris, ciues, manibus seruanda fuisset.
 415 *Hæc ait, & lætus vegetusque, stupente cateruâ,*
Inceptum pertexit iter: cunctosque stupendo
Prodigio docet, in MARIAE obsequiosus honorem
Qui cadit, ex ipso lapsu reparare vigorem.
Interea, profert ut maiestate suauem
 420 *Virgo triumphali vultum, siluere tumultus,*
Omnibus ad Diuam versis; stant vertice Matris
Et Nati geminæ, decus Imperiale, coronæ,
Ambæ lucentes gemmis, candetibus ambæ
Argenti fusæ riuus, subfusca nitorem
 425 *Colligat ut radijs facies; neglecta decenter*
Collo casaries errat, collectaque Ibero
More humeros bis palla tegit, dein fluctuat vndis
In terram latè varijs, pretiosaque adimplet
Fercula: quæ subeunt variæ pietatis honore
 430 *Præstantes, vnâque fide diuersa sequentes*
Jura viri, quæ cuique suus dictamine sancti
Flaminis edixit vestisque & nominis auctor.
Fusa per extensos procedunt agmina campos,
Teque petunt, CALOA, tuis iam pænè ruinis
 435 *Gaudentem, tali quæ restarentur honore.*
Et primi sacrata tui iam limina templi
Attigerant leucæ medio distantia, quando
Vixdum postremus MARIAE descenderat arce

Sedatur tumultus
Statuâ prodeunte:

quæ geminis coronis Imperialibus argenteis, pal-laque pretiosâ exornata,

gestatur à diuerforum Ordinum Religiosis.

Tanta autem confluerat hominum multitudo, ut primi Caloam, mediâ leucâ distantem, peruenissent, antequam Statua procederet.

- Ponè sequens Diuam magno cum Præsule Alarcon:
 440 *Nec tamen angustis arctatur semita claustris,
 Sed vaga libertas bis septem millia ducit
 Per campos, campoque dein tot millia sternit,
 Quo templum exsurgit; nec enim capit area turbam.
 Non hîc commemorem, quàm dulci musica cantu*
- 445 *Intonuit, Statua vt templum populusque subiuit,
 Nec quantâ pietate sacris operatus Alarcon
 Sparsit in adstantes flammato è corde fauillas;
 Nec prece quòd triplici solemnem finijt Hymnum,
 Gratis pro triplici reddens sua vota triumpho,*
 450 *Quæ ternâ cum clade tulit temerarius ausu
 Primo hostis, languens successu, fine notandus
 Infami. Hærebit Fastis cum clade soluta
 Obsidio triplex, semperque notabitur annus,
 Quo Bataui Gallique fugam toto orbe capessunt.*
- 455 *Nec cecinisse semel satis est tibi Magne triumphos
 Virginis, Austriadumque piâ signare tabellâ
 Historiam belli voluisti, obliuio ne qua
 Arguat ingratos post secula longa nepotes;
 Quam turba aspiciens, dudum iam corde paratas*
 460 *Funditur in Lacrymas, & largo soluitur imbre:
 Namque videbat, vti sacratæ Virginis ora,
 Prò scelus! infestis findat mucronibus audax
 Militis hæretici manus impia, deinde fauillis
 Inijciat. Præsens videt hæc ad crimina natus*
 465 *Eductusque puer, dubiâ lanuginis vmbrâ,
 Et formâ cultuque & gratiâ amabilis, imis
 Visceribus nî dira lues, animoque recepta
 Hæresis inficiat miserum, Superisque rebellem
 Opponat. Quid agis puer, heu! miserande? quid illam*
 470 *Robore & antiquo præstantem sanguine patrum
 Turpiter infamas tam vili crimine dextram?
 Ah serò, ad statuam Diuæ quos aggeris ignes,
 In caput ipse tuum struxisse fatebere: sed nunc
 Impietas te cæca trahit, fortunaque lætis*
 475 *Ebria principijs; nec, quam parat æthere ab alto
 Vindictam læsum Numen, te cernere mentem
 Hæresis excæcans sinit. En mucrone flagranti*
- Facilè ad quatuordecim millia ascendisse, erat fama.
- In templo celebravit P. M. Fr. Bartholomæus de los Rios & Alarcon, & Hymno *Te Deum* triplicem Orationem, ob triplicem solutam obsidionem, subiunxit.
- Idem in summo Altari picturam locauerat,
- In quâ Deiparæ statua ab hæreticis comburitur,
- flammas suggerente VVilhelmi Nassaouij filio.

Instruit è cælo FERNANDVM Diua; colores
Nam varij conabantur depingere flammæ,
 480 *Peçtore quas illi diffudit zelus honoris*
Virginei, quando violatum Numen, & igni
Audijt inieçtas statuas: de poplite supplex
Tendit vtramque manum cælo; describitur ore
Ingens ingentem fodiens animum dolor: iras
 485 *Lumina, frons iras, irasque fatetur anhelum*
Cor, iras sunt pænè locuta coloribus ora.
Talibus accensum, precibusque ardentibus astra
Pulsantem, vt tanti se criminis omine certo
Deligat vltorem Virgo, solatur Olympo
 490 *Diua ensem mittens, animosque ministrat vtrimque*
Assistens lateri Paulus, magnusque Senatus
Petrus Apostolici Princeps, tutela Caloæ
Queis olim mandata, ipsique rogare videntur
Auxilium MARIAE. Nec abest vindicçta tabellæ:
 495 *Nam statua flammæ, & flammis scommata salsus*
Qui puer adiecit, transactâ luce, sclopeto
Sternitur infeli[x?], moriensque vlticia monstrat
Numina, V Vilhelmoque patri maiora minatur,
Ni sapiat, Numenque pius, Regemque fidelis
 500 *Agnoscat. Ruit inde, ruit FERNANDVS in arma*
Vindex, inque fugam ductorem atque agmina vertit.
Undique proiiciunt clypeos, tenuisse Caloam
Jam nollent miseri; cursu vada cæca petuntur
Præcipiti frustrâ, nec spes super vlla carinas
 505 *Soluendi limo infixas, vndâque carentes.*
Heu quid agant? nil Martem iterùm tentare iuuaret
Iratis astris; irritatoque furore
Principis, astra, suos, Regemque & Numina, seque
Uno vlciscentis bello. Pars mergitur vndis,
 510 *Pars vitam redemit vinclis. Dum lumine lustrant*
Singula, & adscriptos doceant qui singula versus
Intenti variis relegunt affectibus, infert
Se mediis scandens suggestum maxima verbi
Diuini tuba Ioannes, qui nomine nomen
 515 *Virginis expressit, postquam Patris Augustini*
Zonam, vnaque piæ complexus munera vitæ est.

Contra hæc sereniss. Princeps FERDINANDVS vindicçtam exposcit, zelo &

irâ feruidus.

Huic Virgo per Angelum ensem mittit, DD. Petro & Paulo hinc inde animos suggerentibus: alibi blasphemus Nas-souij filius icçu sclopeti occiditur.

Deinde tota Caloana victoria adumbratur;

quam explicat subieçta epigraphe. Dum hæc spectantur, concionem habuit P. F. Ioannes Maria Ord. Er. S. Aug.

*Quis referat, quàm docta piis, quàm clara disertis
 Miscuerit, quantos animis suggesserit ignes
 Affectu insurgens? Passim delicta fateri*
 520 *Cernas prostratos, Dominique accumbere mensæ
 Millia multa virum. Sunt hi, Caloa, triumpho
 Post fera bella tui; sunt hæc quæ morte tuorum,
 Quæ misero exitio, quæ ferro, sanguine & igne
 Totque malis emisse iuuat: tibi sacra profanis*
 525 *Miscuit hostilis rabies, ea sacra Sacerdos
 Augustiniades antiqua reduxit Alarcon
 Auctius; & iunxit solatia magna profanis,
 Distribuens plenis Cerealia dona canistris,
 Isidis & nudam velent quæ munera carnem:*
 530 *Sufficit his sumptus sibi parca, at diues in omnes
 Paupertas, merito quam Rex sustenat honore.
 His manè indultum studiis. Vix prandia vires
 Reddiderant fessis, eadem repetuntur eodem
 Sacra animo, resonat diuinis laudibus omne*
 535 *Templum, deinde pio resonantia pulpita zelo
 Schenkelio dicente gemunt: non doctius alter
 AVGVSTINE tuos vel sensus exprimit ore,
 Vel vitam exemplo. Claudit rursus omnia Alarcon,
 Omnia qui prius curarat sumptibus, ægrâ*
 540 *Pauperie exonerans multos, rursusque sigillum
 Appendisse suum transacto Virgo triumpho
 Visa: etenim memorant quamdam iam solibus usu
 Luminis orbatam ternis, dixisse MARIAE
 Vota triumphali, tanto quæ scanderet arcem*
 545 *Caloæ plausu, nec inania vota secutum
 Euentum docuisse: fidem quibus adstruit, illis
 Quod super examen factum, postrema probantis
 Legitimè exspectat (sic iussum) oracula vocis.
 Huic Isabella refert geminum Bergensis Olympo*
 550 *Expertam sese munus: peruaserat artus
 Nescio quæ, tacitisque lues constrinxerat omnem
 Motum neruorum vinculis, atque insuper altè
 Lepra tenax membris insederat. ipsa medelam
 A plantis, herbisque, atque arte Machaonis omni,*
 555 *Heu quoties petiit, toties delusa recessit.*

dein passim con-
 fessiones excepte,
 & Communio
 distributa duo-
 bus omnino ho-
 minum millibus.

Post hec eleëmo-
 synam panum
 vestisque lineæ
 erogauit P.M.F.
 Bartholomæus
 de los Rios de iis
 quibus ipse à Re-
 ge sustentatur.

A prandio decan-
 tatis Laudibus
 dixit P.M.F. Pe-
 trus Schencke-
 lius Ord. Eremit.
 S. Augustini:
 & iterum eleë-
 mosyna distribu-
 ta.

Quæ omnia du-
 plici euentu sigil-
 lasse videtur Dei-
 para.

- Ergo ubi victam arcem, victricem scandere Diuam
Audiit, exultans, Aliis inuicta triumphat
Hæc, ait, exemplo est Batauus: sit lepra triumphhi
Materia alterius: subitò me Martius ille*
560 *Accipiat campus quò tendit Virgo, salutis
Hæc spes vna mihi. Dixit, manibusque suorum
Delata, vt cernit Statuam; splendore micantis
Astri quàm subitò nox æthere pulsa recedit,
Tam citò lapsa cadit toto de corpore lepra.*
- 565 *Iam sol deuexo currum tardabat Olympo
Obluctatus equis, pelli se lumine fracto
Inuitum cælo lugens, & nauita turbam
Urget aquâ crescente, vndisque ferentibus vti.
Ergo iterùm naues complent, remeantque, calore*
580 *Diuino pleni. Quoties sua lumina vertunt,
Teque Caloa notant? quoties sermone retexunt
Quidquid longa dies dederat spectare triumphhi?
Hi Statuæ laudant vultus, hi dona metalli
Gemmarumque decus: sunt queis, doluisse tumultus*
575 *Festiuos Batauis vicinis, vna voluptas.
Dumque aliis capiuntur, plurimus ille
Inualuit sermo, quo tanti muneris auctor
Queritur. Et vulgus, Fluit illi diues in arcam,
Quisquis is est, inquit, fuluâ Pactolus arenâ.*
580 *Vel gratus magnis, vel de Magnatibus ipse
Ni foret, haud tanto consensu tota moueret
Undique se regio, castellum, vrbisque Senatus.
His aliquis mediis sermonibus interfatur:
Et quæ tanta viri potis ignoratio mentes*
585 *Obuelare? latétne etiam non notus Alarcon?
Ordinis ille decus præclari, maxima tanti
Quem fecit Princeps ISABELLA, & maxima semper
Qui gessit, seu perplexis res Belgica nodis
Hæreret, facili flueret seu prospera lapsu.*
590 *Vidimus hunc certis caput obiectare periclis,
Nascentem vt belli pestem restinguat in ipso
Semine, restinctâque duces prosternere ouantem
Vidimus EVGENIAE antes pedes. Sed quid? via factis
Est breuis hæc enarrandis; obliuia solùm*
- Vesperii
- Domum rediens turba, verio sermone de re gestâ discurrit,
- curioseque de triumphhi auctore inquirat.
- Docetur quòd sit P.M.F. Bartholomæus de los rios & Alarcon, Ordinis Eremit. S. Augustini sæpius à Sereniss. Infantâ ISABELLA negotiis grauioribus adhibitus, qui in Galliis nascentem belli tempestatem extinxit,

595 *Tanta ego demiror. Numquid Zantvilita recepit*
Quingentas nuper vestes, queis prodigus idem
Contexit nudos? Numquid solatia Thene
Illatâ simili testantur imagine ciues
Accepisse suos? Numquid pia Belgica grato
 600 *Prædicat hunc animo sibi primùm vincula magni*
Seruitij monstrasse, manusque ligasse catenâ,
Mancipij abiecto sublimem Virgini honorem
Ut præstet titulo, Regnum imperiumque MARIÆ
Obsequio agnoscens? Et adhuc ignotus Alarcon?
 605 *Scilicet ille latet, quando licet. At modò tantus,*
Quo Diuam pietas suasit decorare, triumphus
Non sinet ulterius tacitis inuoluier umbris.
Sed neque delituit claro de stemmate magnum
Los Rios nomen, veterum quo facta parentum
 610 *Nomine mutarunt Gothicâ de gente Goterci;*
Vel tunc præclarum nomen, quòd flumina fratres
Custodita rubras iussissent voluere lymphas
Sanguine feruentes hostili. Plura parabat
Dicere, & attenti se plura audire paratos
 615 *Monstrabant, nî quassa graui ratis impete nautam*
Aduaticæ proram ripæ impegisse moneret.
Jamque aderat remis vndisque ferentibus vsa
Regia, & auulsum Caloâ, littore Alarcon
Aduatico exposuit: mirantum lumina tractu
 620 *Obseruant longo gradientem, & claustra petentem*
Augustiniadùm, paruis vbi maxima Diuùm
Virtutem pietas magnam penetralibus abdit.

in Zantvliet 500.
 vestes lineas pau-
 peribus militibus
 distribuit, The-
 nensibus statuam
 B. MARIÆ de
 Remediis simili
 solemnitate de-
 dit, Sodalitatem
 Mancipiorum
 B. MARIÆ Vir-
 ginis primus in
 Belgio instituit:

ac olim nomen
 Los Rios à de-
 sensis fortissimè
 fluminibus acce-
 pit.

Interea nauis ap-
 pulit, & P.M.F.
 Bartholomæus
 de los Rios &
 Alarcon ad Con-
 ventum S. Au-
 gustini se contu-
 lit.



Source:

Bartholomeus de los Rios y Alarcon, *De hierarchia Mariana libri sex: in quibus imperium, virtus, et nomen Bmæ Virg. Mariæ declarator* [...], Antverpiæ: Balthasaris Moreti, 1641, pp. xxxiiij-xlix.

Copy used for transcription:

Museum Plantin-Moretus, Antwerp, sig. K392.

Remarks:

Transcription by F. Mertens. The accent grave on the letter q, sometimes used in the original text, could not be reproduced.

Quotation:

You can quote freely from this text, but it would be appreciated if due reference was made to the site and its author:

F. Mertens (ed.), *Online documents regarding Franciscus van den Enden* (<http://users.pandora.be/fvde/>)